Q. B. V.

DISSERTATIONEM INAVGVRALEM

DE

LAVDE FEBRIS MERITO SVSPECTA

PRAESIDE

IO. GOTHOFREDO DE BERGER

CONSILIARIO AVLAE ET ARCHIATRO REGIO

PROF. MED. PRIM. ET ACAD. SENIORE

PRO LICENTIA

IMPETRANDI SVMMOS IN ARTE SALVTARI HONORES

P. P.

IOANN. ADAMVS HACKER

ARTZBERGA BAYRVTHINVS

A. D. XXIIX. APRIL. cIↃ IↃcc XXX.

IN AVDITORIO MAIORI

HORIS ANTE ET POST MERIDIEM CONSVETIS.

VITEMBERGAE

EX OFFICINA GERDESIANA.

3

DE

LAVDE FEBRIS MERITO SVSPECTA

DISSERTATIO SOLENNIS

I.

Si quondam Romani, talem febris naturam esse, credidissent, qualem postea multi praedicarunt, ei quidem procul dubio, qua erant superstitione, nullius formidine mali, neue noceret, sed spe potius boni, tanquam bonae deae, in fano, quod ipsi,

 ut

ut *Cicero, III de nat. deor.* et *Plinius, hist. nat. lib. II, cap. VII,* habent, in palatio dicatum erat, publice ſacrificaſſent. Ita enim, ut alios taceam, *Th. Roder. a Veiga,* philoſophus, et Medicus Eborenſis, *Comm. de differ. febr. lib. I,* febrim, exiſtimat, utilem eſſe intemperaturam, ortam a corde, uel auctam potius cordis et arteriarum operationem, in uſus, uel totius corporis, aut uariarum partium, pro uaria rerum neceſſitate excitatam a motu naturae, cor regentis, atque ex innata doctrina, cum uniuerſo caloris exercitu aggredientis, quicquid in corpore noxii ſentiat, et uel coquere, uel pellere nitentis. Qui, cum in eo potiſſimum laboret, ut cauſam febris effectricem illam, cor regentem, naturam ſtatuat, ex inſita doctrina humorem noxium adorientem, et, febrem homini propriam, ac in ſe bonam utilemque eſſe, oſtendat, nec, niſi ex accidenti, in male materiatis et ruinoſis corporibus occaſionem quandoque mortis fieri, haud ſecus, ac uer, ex ſe ſaluberrimum, cum, tepore ſuo relaxans corpora noſtra, atque ad uiuidiores motus excitans, collectos iam prauos humores, et ſemina morboſa, commoueat: ab eiusdem naturae innata ac inſita doctrina, qua ea, malum ſentiens, ad occurren-

dum

dum magnis corporis damnis, diffusione calidi ex corde, id, quod alienum est in corpore, et aduersum, certis temporibus aggredi, et separare, excernereque norit, etiam accessionum febrilium, et periodorum, atque certorum electionem dierum, in quibus, reparata ex ante acto labore, natura, crisin et uictoriam speret, deducere conatur.

II.

Nondum orbi cognitus erat circuitus sanguinis, cum ita febrem *Veiga* reuerendam esse, profiteretur, cui alioqui facile fuisset conuenire cum iis, qui hodie, febrim a uulgo quidem hominum morbum haberi, nihil autem aliud esse, arbitrantur, quam spontaneam naturae energiam, et actum, animae humanae proprium, eumque bonum et utilem, quo ea, conseruationi corporis sui intenta, aucta cordis et arteriarum operatione, siue pulsu celeri, motum et circuitum sanguinis, hoc quidem consilio et sapienti instituto, augeat et intendat, ut eodem adauctis pariter secretionibus atque excretionibus, materia morbida, membra corporis ad putredinem destructionemque disposita,

quod alias corrigi et ſubigi nequeat, organico-mechanica aptitudine pororum, et directione tonica loca uerſus affecta, atque excretoria, ordine, tempore, locoque, congruis, mature expellatur e corpore, idque adeo, materia eiusmodi liberatum, in priſtinum uigoris ac ualetudinis ſtatum uindicetur. Atque *hi* quidem illam ſalutarem animae intentionem, et methodum expellendi materiam noxiam, tuendique corpus ab interitu, tam certam habent, ut, in ea omne recte curandi rationis momentum ſitum eſſe, opinentur, et, quam *Veiga* cauſam acceſſionum, et periodorum febrilium, criſiumque, ab innata naturae, cor regentis, doctrina, deduxit, eam illi ab aeſtimatiua, quam uocant, animae energia repetendam cenſeant, ex quibus unum eius ſententiae ducem ac principem, celeberrimum *Stahlium*, laudaſſe ſat erit.

III.

Haec mihi cogitanti in mentem uenit recordari ueteris illius, ac uerae opinionis, iam usque ab Hippocratis ductae temporibus, eiusque medicorum, tam Latinorum, quam Graecorum, et Arabum, aliarumque gentium, firmatae

con-

confenfu, febrem interdum fibi, aliquando etiam aliis morbis, præfidio effe. Namque fieri nonnunquam uideas, ut febris, comminutione eiectioneque materiae, a qua excitabatur, et ipfa conquiefcat, et, quod *Celfus, lib. II, cap. IIX*, ex Hippocrate annotauit, praecordiorum dolores, fi fine inflammatione fint, finiat, et in iecinoris dolore fuccurrat, et neruorum tam refolutionem, quam diftentionem rigoremque, tollat, et aliorum medicina morborum euadat. Haud aliter ac morbis etiam pluribus aliis ufu uenire folet, ut aliquando ex accidenti, nonnunquam per fe, non modo nihil detrimenti, fed plurimum potius utilitatis et commodi, afferant, et, confumta expulfaque materia nocente, et ipfi ceffent, et morbos alios, ac faepe grauiores, uel arceant, uel deleant, eaque re alii aliis fint auxilio. Quemadmodum, exemplo coryzae, uomitionum, fluxionum alui, haemorrhoidum, et aliarum haemorrhagiarum, arthritidis item, icteri, ulcerum, atque affectuum cutaneorum, aliorumue, quotidianus rerum ufus docet, ac, inter multos, *Sennertus, de febrib.* et peculiari *differtatione de Salubritate quorund. morbor.* copiofe docteque *Schraderus* oftendit.

IV. Ve-

IV.

Verum hæc in confesso sunt apud omnes, et cum grano salis accipienda, neque ad illam febris laudem accedunt, qua ea de morborum censu eximitur, et homini propria, actusque, animae humanae proprius, utilis et bonus, uocatur, a natura, cor regente, uel, ut cl. *Stahlius* dicit, anima humana, conseruandi corporis gratia, et hac salutari intentione, susceptus, ut, aucta cordis et arteriarum operatione, siue accelerato pulsu, auctoque adeo circuitu sanguinis, et hunc consequentium ope auctiorum secretionum, excretionumque, amoueatur e corpore, quicquid aduersam ei, et funestam aliquam corruptionis atque putredinis labem minetur.

V.

Nihil, fateor, speciosius ad laudem et commendationem febris, uel dici, uel fingi etiam potest, ad cuius quidem tantae rei, qua uitae et ualetudini consulitur, disquisitionem interest, praemitti ea, quae de natura febris patent iam in promtuque sunt omnibus, quo deinde in ceteris, quae plus uideri possunt habere difficultatis, ac eam inprimis laudem attingunt, omissa

auto-

autoritatum cogitatione, et ſepoſito omni hypotheſium amore, ipſa re et ratione exquirere ueritatem poſſimus.

VI.

Ac primo quidem illud ipſi nos ſenſus docent, et ſatis iam euidens ac perſpicuum eſt, recte febrem pulſum dici frequentem et uelocem, cum mutatione caloris naturalis, actiones laedentem, quia febris et haec pulſus frequentia et celeritas, nexu tam arcto cohaerent, ut neutra, altera ſeparata, uel eſſe, uel concipi queat. Neque dubitare licet, eandem pulſus mutationem ſtatim principio, et in acceſſione, frigoreque febrium etiam intermittentium adeſſe; id quod, cum res ſit experientiae, et ſuo cuiusuis ſenſu comprehendatur, miror, non aduertiſſe experientiſſimum *Stahlium*, cum *diſſ. de tertiana, febris genium uniuerſum monſtrante, cap. IV*, pulſum in acceſſione, et ſub frigore, tardum et rarum eſſe, ſcripſit. Melius, experientia conuictus, *Veiga* ſtatuit, cum, in frigore, uel in bona, ut l. c. ait, parte frigoris, ex celeritate pulſus contractioris, febrim adeſſe, aduerſus

Fernelium pronunciauit. Sed dubitationem omnem expedit, illustris diuino circuitus sanguinis inuento, *Harueius*, quando *Exercit. unat.* ... *de motu cord. et sanguin. circul. cap. XVI*, in febris tertianæ principio, ubi caussa morbifica, cor petens, circa hoc et pulmones immoratur, dissectione illorum, qui in principio accessionis obierunt, se comperisse, scribit, sanguinem pulmonibus impingi, et crassescere, nec transire posse, eoque principium uitale aggrauari, et anhelosos, suspiriosos, languidosque ægrotantes fieri, et tunc semper pulsus frequentes, paruos, et quandoque inordinatos esse, ab adaucto uero calore, attenuata materia, et apertis uiis, transituque facto, ac ingrauescente paroxysmo febrili, corpus uniuersum incalescere, et pulsus maiores ac uehementiores reddi. Hunc insignem uirum postea sequuti multi, et docti, et, id quod potius est, artis usu eruditi, inprimisque in Academia Lugduno - Bataua, clarissimi Medici, *VValaeus*, *Syluius* et *Boerhaauius*, idem eadem de re ita censent, ut, quia in febri omni, eaque sola, et omnibus eius temporibus, a principio ad finem usque, eum, quem dixi, crebrum uelocem-

que

que pulsum, perpetua et constanti obseruatione, notarunt, eodem merito commune et proprium, adeoque pathognomonicum atque demonstratiuum, omnium febrium signum contineri, statuunt. Quam quidem ueterem fuisse et publicam apud Romanos opinionem, ex ipso, inter alios *Marco Tullio* doceri posse uidetur, quando in libro, quem *de fato* composuit, cum de necessitate praeceptorum astrologicorum aduersus Chrysippum Stoicum pronunciasset, exempli loco medicorum illud de febre, ex uenarum (uenas antiqui pro arteriis dicunt,) motu cognoscenda, proponit. Haud aliter intelligendum esse *Celsum l. c. lib. III, cap. VI*, iudicabimus, si ea, quae de calore, aliisque subdit, cum celeritate pulsus coniungamus.

VII.

Cum itaque in eo iam omnes, qui perspectam rem habent, conueniant, in illa motus cordis et arteriarum mutatione, siue pulsus frequentia et uelocitate, ipsam febris essentiam et naturam consistere, id quidem porro liquet, omnia, quaecunque motum cordis incitare, et frequentem reddere possint, inter causas febrium effectrices referenda, quorum omnino mul-

ta esse uariaque solent. Ad cuius rei intelligentiam non alienum erit in memoriam reuocare illam, quam nos obseruationes anatomicae docent, admirabilem machinae cordis mobilitatem, qua cor, animantis alicuius uiui euulsum, non solum, quod iam pridem etiam *Cicero, de nat. deor.* aduertit, mobiliter celerrimeque palpitat, uerum etiam a motu cessans, et quiescens, leni stimulo fotuque, ueluti reuiuiscit, et pulsus suos repetit, quin et in multas diuisum partes, motum ita continuat, ut et resectus mucro, et in eodem, singulisque reliquis dissecti cordis partibus, singulae omnium fibrae, quamuis utroque extremo careant, suapte ui alternis uicibus se contrahendo, diducendoque, tanquam uiuentes adhuc spirae, aliquandiu agitari cernantur. Vt uero haec in corde, ita euulso, fieri solent; sic illud de corde, in resectis itidem animantibus uiuis adhuc integro, et continuatis ei uasis, notatu dignum est, toties moueri uenam cauam, toto illo tractu ab hepate in iugulum, adeoque sanguinem ad cor propellere, quoties animaduertitur arteria aorta pulsare, et ideo sanguinem ex corde recipere, ac ligata et constricta filo eadem uena, ita ut sanguini aditus in auriculam dextram praecludatur,

mox

mox motum utriusque auriculae, cordisque, cesſare, ſoluto autem uinculo, admiſſoque ex uena caua in auriculam ſanguine, mox reddi eundem et reſtitui; atque extincto deinde motu cordis motum auricularum, praeſertim dextrae, ſatis interdum diu ſuperſtitem eſſe, eaque emortua, uenam cauam iuxta cor adhuc micare, et, hac etiam conquieſcente uena, omnique emortua compage cordis, ab immiſſo, per ductum thoracicum, uel uenam cauam, huiusque ramos, ſpiritu, auriculam primo dextram, hinc ipſum uentriculum dextrum, mox et auriculam ſiniſtram, ſubinde etiam uentriculum ſiniſtrum, non in defunctis tantum animantibus, ſed ipſo etiam cadauere humano, aliquoties palpitare. Neque praeterire harum rerum curioſum poterit, quod itidem frequenti experimento animaduerſum eſt, ligatis, aut reſectis neruis cardiacis, mox motum cordis ualde turbari, et, cum ſummo animalis languore, imminui, tandemque, imo repente interdum, extingui.

IIX.

His ipſam ſolertem tam facile mobilium auricularum cordis et uentriculorum conſtructionem, nexumque, et cum cerebro, toto-

que corpore, per ductus succorum plenos arteriarum, uenarumque et neruorum, coniunctionem et communitatem, si addamus, uim illam mechanicam cognoscemus, qua Deus isthaec omnia tam apta inter se et connexa, perpetuitatis cordis et circuitus sanguinis, ipsiusque adeo uitae, causa, ita machinatus est, ut, quando cor semel contrahi, et sanguinem in arterias propulsare coepit, idem deinde, istius suae ui fabricae, et coniunctionis cum dictis ductibus, atque contentis iisdem, et pressis commotisque succis, alternis suarum auricularum et uentriculorum motibus, alterni ope influxus ex cerebello per neruos, atque ex aorta per arterias coronarias, in substantiam cordis, in cauaque ipsius per uenas, cauam et pulmonariam, sanguinem in circuitum agere, eoque omnia agitare in corpore, atque a se ipso moueri, nequaquam uero nutu nostro regi debeat, neque finem motus, qui illo ordine, quo motus motum ciet, nititur, habere possit, quamdiu iste solidi et liquidi concentus consensusque persistat. Namque fieri sic aliter nequit, quin eodem tempore, quo sanguis, systole cordis, in arterias eiicitur, flumen eius in orbem agatur, eoque arteriae dilatentur, ac uenae partem quan-

dam

dam ſanguinis in patentes tunc auriculas immittant, easque impulſu hoc repleant ac diſtendant, et hae deinde ita incitatae auriculae, ſuarum, ui elateris ſui, contractione fibrarum, dum cor iterum relaxatur, et nouam per neruos, atque elaſtico arteriarum reſultu et contractione, expreſſo et retrocedente nonnihil ſanguine, per hiantes tum arterias coronarias, uim motricem recipit, eundem hauſtum ex uenis ſanguinem in relaxatos et patulos uentriculos depellant, eosque diſtendant, et hoc uiuido ictu incitatum cor, ſuarum uigore fibrarum, ſe denuo contrahat, et ita repetitis deinde auricularum et uentriculorum, uti coeperunt, alternis contractionibus, circuitum ſanguinis tueatur ac perpetuet, quoad illa partium ſolidarum et liquidarum cohaeſio atque communio perſeueret. Motus enim cordis et circuitus ſanguinis ita inter ſe nexi et iugati ſunt, ut alter alterius auxilio egeat, ac neuter ſine altero eſſe et conſiſtere poſſit.

IX.

Quodſi haec referamus ad cauſas, quibus pulſum, ſiue motum cordis, in nobis incitari, animaduertimus, earum complures quidem,

dem, et fere innumerabiles, ſaepeque leuiſſimas eſſe, et propiores alias ac febri iunctiores, alias antecedentes, et remotas alias, uarieque adiuuantes, cum euidentes, tum abditas, ſingulares et proprias cuiusuis, uel pluribus communes et uniuerſales, interiores, externasque, omnes tamen neceſſario agere, in eoque conuenire, comperiemus, quod uel recurſum ſanguinis per uenas, uel liquidi per neruos, uel utriusque motum ad cor accelerando, uel hoc irritando, pulſum eius cieant, et frequentem reddant. Id ut exemplo facili, ſaepeque obuio, demonſtrem, ponamus hominem ſanum, et aetate ac uiribus florentem, itinere plurium milliarium, aeſtuoſa uia, et pede citatiore, ac partim curſu, multo labore et ſudore, ocyſſime confecto, fatigatum, de laſſitudine phlegmonoſa, ac ueluti confractione omnium artuum, de dolore capitis, aeſtuque graui et incendio inprimis interno, cum palpitatione cordis, pulſu uehementi, ſiue forti, frequenti ac celeri, lingua oreque arido, ac ſiti ingenti, ſpiritu anxio, anheloſo, et calido, aluo ſuppreſſa, urina difficili, pauca, rubra et craſſa, inquietudine demum, nocteque inſomni, conqueri, alteroque, et ſequentibus diebus ad ſextum usque,

quo

quo è uiuis deceſſit, haec eadem non modo continuari, ſed etiam grauiora reddi, aliaque poſt alia ſymptomata, defectiones praeſertim uirium, cum pulſu ualde frequenti, debili, ac inaequali, delirio, frigore extremorum, aluoque perliquida, ſpumante et foetida, accedere.

X.

Hunc, quiuis intelligens, febri, dicet, continua ſimplici, ſiue continente, eaque acuta, quam uulgo ſynochum putrem appellant, ex labore nimio, quem illo itinere pertulerit, laborare. Idem uero, ſi gnarus ſit circuitus ſanguinis, ſciet etiam, eodem illo labore, et niſu atque contentione muſculorum, quorum tot repetitis alternis, uelocibus ac uiolentis contractionibus, iter illud confectum eſt, reuerſionem ſanguinis per uenas ad cor, quorſum ei uia, propter ualuulas et ſectionem uenarum maximam, recta et directa patet, acceleratam fuiſſe, eaque impulſione motum cordis ſenſim incitatum, et celeritate ac robore magis magisque auctum, uti magnam circuitus ſanguinis, ita caloris naturalis, mutationem attuliſſe.

XI.

Neque enim pulſus cordis naturali maior atque celerior eſſe poteſt, quin a ſanguine, ex eodem in arterias, et his contentum flumen humorum, proiecto, pari ui ac uelocitate, et hoc ad circuitum ſollicitetur, et una omnes illarum propagines pulſentur, et pulſent, atque ad cordis motum palpitent. Quo fieri porro debet, ut, quia ſanguis, cuius facili et placido motu uitalis continetur calor, iam ſolito maiori uelocitate, maiorique ui et copia, ex corde in arterias compellitur, ob incitatum illum et praecipitem, ſed difficiliorem et uiolentum per anguſtias earum extremas tranſitum, ac inde inualeſcentem mutuum ſuarum partium, inter ſeſe, et in uaſcula illa, niſum et attritum, et ipſe incaleſcat magis, aeſtuque tandem ferueat, et eodem ipſius aeſtu et feruore corpus una totum iactetur et concaleſcat, hoc quidem magis, quo magis cor atque arteriae a renitentibus intus copioſis humoribus incitantur, ac uehementius in eosdem niti et agere coguntur. Quorſum quidem, patet, ipſas extremas arterias eo plus conferre, quo ſe fortius ſtringunt, atque appulſui et impreſſioni humorum reſiſtunt, et difficiliorem

liorem tranſitum reddunt. Ita uero accelerata cordis et arteriarum actione, cum omnis aeſtuoſi copia ſanguinis pari celeritate per arterias in uenas tranſmitti nequeat, neceſſe eſt, accumulari humores in arteriis maioribus, et eadem motus frequentia et celeritate, qua cordis ſyſtole et diaſtole peragitur, arteriarum diaſtolen et ſyſtolen conſequi, et hac preſſum flumen humorum, quandam ſui partem in patentes tunc, arterias coronarias, immittere, eiuſque uigore, illam motus cordis et arteriarum uelocitatem, ſiue febrem, continuari. Nullam hic liquidi neruorum cordis mentionem facio, cuius quidem influxus ratio ex ipſa motus cordis et ſanguinis mutatione non difficulter intelligitur. Neque neceſſe eſt, hic repeti omnia, quae ad accelerationem ſanguinis uenoſi, qua cordis motus pariter incitatur, pertinent, cum ſatis ea ex accelerato ſanguinis motu per arterias, et iis, quae ſupra dicta ſunt, colligi et patere queant. Nam uti in circuitu ſanguinis naturali, ſic in accelerato quoque, una cordis et uaſorum, quae cuncta, ſuarum ui fibrarum motricium, elaſtica et oſcillantia nata ſunt, ſumma eſt conſenſio, et ad propulſandum ſanguinem conſpiratio.

XII.

Ex his uero, quae in propositum casum adduxi, non modo pulsus et caloris febrilis ratio constat, sed illud praeterea apparet, hoc acriorem reddi calorem debuisse, quo maior humidi aquosi copia, partim initio per sudorem in itinere aestuoso, partim deinde motu illo aestuque sanguinis, expressa et dissipata est. Nam uti eius temperatione humidi, miti et suaui sanguis calore liquoreque, fluxioni ipsius et circuitioni commodo, totique corpori utili et salubri, uiget: sic eiusdem priuatione ac defectu humidi, densus idem, et minus liquidus ac meabilis, minusque temperatus, redditur. Quam quidem densitatem sanguinis permultum auxit continuata in minimis arteriis, a pressu earum percussuque, tam crebra et ualida compressio, atque augescens inde aestus, cuius quidem uim in addensando sanguine, sanguis ipse, in febribus inflammatoriis uena secta missus, partim in flocculos coactus, summaque parte densus, et quasi pelliceus, ostendit, tum et sanorum bonus et incorruptus monstrat, cum, leni et parum superante naturalem calore, cum minimo dispendio, in massam siccam, quae uix dein-

deinde ſolui poteſt, coit. Idem uarius caloris gradus docet, quo ouum, uel tremulum et ſorbile, uel durum redditur. Qui proinde ſanguis merito inflammatorius uocatur, quod continuando uitali circulo minus eſt idoneus, et grauem ubique ardorem creat, et facile alicubi in extremis arteriis haerere, et ſubſequenti ex corde ſanguini uiam praecludere, huiusque ui et impreſſione adauctus et incitatus, tumorem illum calidum, rubentem, dolentem ac pulſantem, quem inflammationem uocamus, parere ſolet. Ab eadem uero commotione cordis et arteriarum concitatiore, atque hinc oriente feruentis iactatione ſanguinis, pro uario eius gradu, uarie affligi naturam, ſiue oeconomiam et coagmentationem corporis, et in uaria, grauiaque diſtrahi ſymptomata, ac tandem diſſolui, in procliui eſt iudicare. Hinc enim in noſtro febricitante incendium illud corporis, hinc dolores capitis et membrorum, hinc ſpiritum anxium, anheloſum, et calidum, hinc impeditas ſecretiones et excretiones, oris et linguae ariditatem, ſitimque uehementem, hinc inquietudines, uigilias, delirium, et magis magisque immobili reddito ſanguine, tranſituque eius per minima arteriarum uaſcula ceſſante, et

oppletis demum eodem pulmonibus, corde autem et hoc, et ui omni motrice, destituto, omnium lapsum uirium, et frigus extremorum, ipsamque mortem frigidam, extitisse, cuiuis intelligenti facile est perspicere, ut iis, prolixe exponendis, immorari nihil hic opus sit.

XIII.

Eiusdem generis febre, ex causa simili, aliisque, subinde iumenta corripi, experientia testatur, et alios inter *Publ. Vegetius*, uir illustris, in *Arte ueterin. siue Mulomedicina, lib.* I. *cap. XXIX de passione et curis febrium*, docet: *Febrientibus*, ait, *animalibus quamprimum conuenit subuenire. Nam non amplius, quam triduo caloris uim sustinere posse creduntur. Intra quod si curata non fuerint, moriuntur. Oportet igitur passionis huius signa causasque prædicere, et mox medicinas exponere. Febriens iumentum deiectum caput e terra alleuare uix poterit, erit oculis apertis, labiis demissis, tristitia turpis, et grauitas totius corporis insequitur, testiculi tumidiores laxius pendent, membra caloribus feruent, uenæ uehementi pulsu saliunt, anhelitus creber et calidus, tussis assidua, incessus nutans, fastidium cibi, bibendi cupiditas, uigiliæ iuges. Causa huius*

ius passionis ex magno labore et fatigatione est, si negligentia consequatur. Interdum æstu nimio, aut perfricatione uehementi, uel ex cruditatibus ciborum, ac sudoris subita infrigidatione, uel ex feruore hordei nouelli euenire consueuit. Et cap. sequenti *speciatim equos, memorat, ultra uires ad cursum coactos, aut ponderibus prægrauatos, sudoreque defectos plerumque similia febricitantibus signa demonstrare, et oculos habere sublachrymantes, et tanquam subfusos sanguine, spiritum quoque crebrius agitare, et de posterioribus pedibus melius se sustentare, primosque quasi subtritos tardius ponere.* Plura deinde de *febribus dictis internis, et diuersis anni temporibus, atque ab indigestione orientibus, subiungit*, et *lib. III, cap. IV, etiam bouem febrire, addit, idque ex uenarum inquietudine, et caloris totius corporis, uel oris intelligi.* Neque alium fuisse morbum illum epidemium, qui superioribus annis in Latio boues depopulatus est, quam febrem pestiferam, *Io. Maria Lancisius, V. cl. diss. histor. de bouilla peste p.* II, *cap.* II, diserte testatur. *Neque uero*, inquit, *quin febris affectos boues ureret, dubitandum erat: namque non modo ueterinarii medici, sed ipse ego in illorum arteriis carotidibus et axillaribus summam semper, ac statim ab initio, celeri-*

celeritatem ac frequentiam deprehendi. Hactenus Lancisius, ex cuius sententia pronunciandum puto de morbo, quo nuper, in his regionibus, tanta armentorum strages facta est cum insigni multorum detrimento, qui damnum hoc nondum refecerunt.

XIV.

Ex quibus iudicemus licet, quo iure nobilissimum illud par Medicorum febrem de morborum numero excludere, et *Veiga* intemperaturam utilem, hominique propriam, cl. uero *Stahlius* actum, animae humanae proprium, eumque utilem et bonum, atque a uulgo tantum hominum morbis accenseri, arbitrari potuerint. Namque uel ex his etiam solis, quae modo sunt allata, abunde constare potest, febrem primo et immediate, ex se suaque natura actiones laedere, et nulla animae intentione, instinctuque nullo, cieri, neque homini propriam, sed eidem cum genere animantium bruto et cum pecore communem esse. Quodsi ex uulgo Medicorum sunt, qui febrem pro morbo habent, quis negauerit, ad eundem gregem adiungendum ipsum magnum Hippocratem, quem legimus multis locis, ac praesertim *lib. de flat. VII*,

et

et *de uictu in acut.* febrem diſerte morbum, et uulgarem maxime, omniumque prope morborum comitem, et, ſi acuta ſit, plurimis exitioſam, dictitaſſe. Et quid aliud ſunt libri ipſius epidemiorum, primus inprimis ac tertius, qui ex ſeptem ſoli pro germanis habentur, quam quadraginta duae febri acuta laborantium hiſtoriae? quorum maximam partem periiſſe, quo fuit candore, ingenue profeſſus eſt.

XV.

Non ita diu eſt, cum archaeus, neſcio quis, tanquam faber febrium, in ſcenam prodiret. Neque ulla eſt ratio, quamobrem animam, conſeruandi corporis cauſa, febrem, et ſibi ipſi, et corpori moleſtam, nec raro pernicioſam, fabricari fingamus. Suſtentari uitam et ualetudinem corporis earum obſeruatione rerum, quae aut prodeſſe ſoleant, aut obeſſe, nouimus omnes. At uero in mente, ſiue anima humana, eiusmodi ineſſe facultatem, quae intus omnia in corpore circumſpiciat, et materiam noxiam, *partibus uitalibus corruptionem intimiorem inferre aptam, imo promtam et paratam*, cognoſcat, eiusque expellendae, atque ab eadem tuendi corporis, ſtudio, febrem cieat, et, ut opi-

natur clariſſimus *Stahlius*, *circulationem augeat et intendat*, *cum uariis directionibus tonicis uerſus loca affecta*, *aut uerſus colatoria*, *aut emunctoria*, *et huius utriusque conueniente*, *et iuſta*, *et efficaci proportione*, *ad ſecretiones et excretiones ſucceſſiuas operoſiores extraordinarias*, nemo facile agnoſcet, qui ueritatem huius rei ſuo experiri ſenſu, et cum circulo ſanguinis, qui nutum animae et directiones illas tonicas haud admittit, conferre uelit. Si qua animae prouidentia eſt, per quam futura proſpicit, antequam eueniant, quis non hic ſeram nimis et tardam animae, conſeruationi corporis intentae, curam et prouidentiam iure accuſandam cenſeat, quod non in tempore, tutoque, naſcentem adhuc materiam, in ipſo ortu, et ante, quam incrementum capere atque nocere poſſit, anteuertat et praeueniat, ſed natam, et corpori penitus iam inſidentem, partibusque illius corruptionem inferre aptam, imo promtam et paratam, animamque adeo quaſi prouocantem, aggredi demum, eiusque mali expellendi cauſa, et conſeruandi corporis gratia, tantis motibus, et ſibi ipſi negotia facere, et in propria corporis ſui uiſcera ſaeuire, hac ſua horribili uigilantia curaque malit.

XVI.

Id quidem rem bene attendenti conſtabit, motum cordis, tam naturalem, quam turbatum et febrilem, ab animae nutu et ditione omnino alienum eſſe, neque eum ab hac, etiamſi maxime uelit, excitari, neque regi ſedarique poſſe, nec magis animam uim noſſe et ſedem materiae, ut eius potentiae ſuam conformet actionem, quam cor, organaque reliqua, quibus, inſtinctu et directione animae, motus febrilis ſuſcipi abſoluique creditur. Quae de influxu animae in corpus hic moneri poſſent, ſciens et uolens praetereo, ne res medicas diſceptatione philoſophica, ubi nil opus eſt, implicare uelle uidear. Ignorantia noſtra, in re alioqui nobis non plane perſpecta, qualis eſt influxus animae, inſtar fundamenti, cui firmi quid inaedificemus, eſſe non poteſt. Neque attinet de eo hic quicquam dici, cum ſatis pateat, febrem a cauſis, nulla intentione, ſed ἀπροαιρέτως et neceſſario agentibus, exoriri.

XVII.

Nunquam, bene ſapientes monent, et ſua cuique ratio dictitat, in uſum uocandam eſſe uim et facultatem, de qua controuerſia haberi,

et maior, aliaque ex alia oriri diſceptatio posſit, ubi adeſt, parque operi uis et poteſtas, ita euidens et manifeſta, ut de ea ambigi haud liceat. Ecquis uero inficias iuerit, in homine ſano, de quo dictum eſt, ſolius culpa immoderati motus corporis, ſine ope nutuque animae, excitatam febrem fuiſſe? Praeſertim cum ex eadem cauſa animantia etiam bruta, quae nihil humanae animae habent, eodem corripi malo, et alias notum, et paulo ante commemoratum ſit. Quod autem hic labor et motus corporis nimius fecit, idem cauſae externae ac euidentes aliae, facere etiam abditae et internae poſſunt, unde magna quidem uarietas febrium naſci et exiſtere ſolet.

XIIX.

Etſi uero ſunt, qui cum Galeno contendant, cauſas externas non morbos tam graues facere poſſe, niſi adſit in corpore ad eos ſuſcipiendos praecedens diſpoſitio, et quaedam eorum ſemina in latebris corporis deliteſcant: tamen, qui uim et actionem cauſarum externarum in corpora noſtra conſiderat, is quidem haud difficulter intelliget, pro earum uarietate, corpora noſtra uarie, et ſubinde tam uehementer

affici

affici et commutari posse, ut inde, etiam morbo nondum disposita, sed bene ualentia, in febres grauissimas, morbosque alios, abripiantur. Nam uti causae leuiores febrim leuiorem ephemeram, sic causae grauiores febres grauiores, cuiusmodi est ea, de qua egimus, parere possunt. In quam sententiam, alios inter, experientia doctus, *cl. Schelhammerus, lib. de genuina febres curandi methodo, P.* II, *§.* II, notat, motibus corporis immoderatis, et uel concitatis in cursum equis, uel alio exercitio uiolento, aestiuis praesertim diebus, calore regnante, instituto, febres continuas in purissimis etiam corporibus exarsisse, non semel a se, et ante dudum ab aliis, obseruatum esse. *Archibaldus* autem *Pitcarnius, Element. med. lib.* II, *cap.* I, febres, existimat, omnes continuas simplices, pluribusque periodis liberas, ex causa procatarctica, manifeste ac immediate motum auctum producente, semper oriri, nec nisi gradu inter se differre, et pro huius uarietate symptomata producere, quae imperitis toto coelo diuersa uideantur. Ac uideri hic sui immemor *Galenus* potest, cum *de differ. febr. lib. I, cap.* III, ita scribit. *Febris, quae lassitudines sequitur, principium quidem, et ipsa habet multam musculorum, neruorum, copularum,*

et articulorum motionem; quae ſane et prima caleſiunt: hinc uero continuatim calor aſcendit ad cor, atque inde homo febricitat. Quae ſi de motu ſanguinis, illarum agitatione partium, per uenas ad cor accelerato, eiusque motum ciente, ut par eſt, accipiantur, nihil a me diſſentiunt. Sed minus eſt neceſſarium tam claram rem aſſenſione aliorum comprobare. Praeſertim, cum ipſum doctiſſimum *Stahlium* l. c. ſcripſiſſe uideam, *ruſticis etiam abunde notum eſſe, non ſolum, quod ſanguis citatiore motu per poroſas partes peripheriae corporis incaleſcere poſſit, ſed potius non poſſit non incaleſcere, idque illos e curſu, laboribus corporis, agitatione artuum, perſpectiſſimum habere.* Vti uero tranſitum ſanguinis ex arteriis per interiectam poroſam partium ſubſtantiam in uenas, quia cum circulo ſanguinis ſtare nequit, et autopſiae anatomicae aduerſatur, nobiliſſimo Viro relinquo: ita libenter aſſumo, curſu et laboribus corporis, ſanguinem in citatiorem abripi motum, et incaleſcere, eoque febrim, ſi motus ad uigorem perducantur, citra animae intentionem, et ſine latente in corpore diſpoſitione morboſa, cuius expugnandae cauſa, anima febrem excitet, effici poſſe.

XIX.

XIX.

Quamuis autem haec ita ſeſe habeânt, tamen illud etiam admittendum eſſe, patet, facilius febres, et a leuioribus cauſis, in corporibus impuris, et latente intus diſpoſitione morboſa, exoriri, atque in ea ſanitatis latitudine, et pro uarietate naturarum, ipſiusque ratione conſuetudinis, ex cauſis externis et procatarcticis uariis, quosdam facile, difficulter alios, a ſtatu naturali recedere, et in febres morbosque alios incidere. Quemadmodum identidem experimur, ex eodem commiſſo communi errore, in motibus corporis et animi, uictu, potuque, et cauſis externis aliis, unum uel alterum febri, morboue alio corripi, ceteros uero nihil eorum pati, et alium alio magis grauiusque affligi.

XX.

Nec uero hoc praetermittendum eſt, quod a clariſſimis quoque uiris diligenter notatum eſſe uideo, non omnia, quae per ueſicam, meatus cutis, aluum, locaque alia, in febribus excernuntur, pro cauſis illarum antegreſſis et continentibus habenda eſſe, cum ea non raro illarum potius effecta et ſymptomata ſint, et nata de-

mum

mum febre, ui huius, fiant, quibus proinde ipsa origo febris immerito assignatur. Quodsi enim in sano, beneque ualente, a ui quadam, extrinsecus accedente, febris exoriatur acuta, quid apertius esse potest, quam uitales in eo succos, uiuumque sanguinem, motu et excandescentia febrili deprauari et corrumpi, ac uitiosos colligi, excerniue, iisque adeo febrim non excitari, at foueri tamen deinceps, et subinde grauiorem, nec raro exitiosam, reddi. Nec multo aliter se res habet in febribus, a causis etiam interioribus, non tam mole, quam stimulo, nocentibus, excitatis. Et quis omnem illam humorum corruptorum eluuiem, quae in eiusmodi febribus, per diuersas saepe uias, plurium dierum spatio, nec raro ad extremam usque imbecillitatem, et consumtionem corporis, ipsamque mortem, expellitur et eiicitur, antea, quam febris orta sit, in corpore haesisse, opinari potest? De urina *Io. Alph. Borellus, de motu animal. p.* II, *cap.* XXII, *prop.* CCXII, non sine ratione submonuit, eius contenta non semper eiusmodi corruptelae sanguinis, cui, tanquam origini et causae effectrici, febris tribuenda sit, notas afferre, cum fieri possit, ut urina ab ipso motu febrili illam demum mutationem subeat:

adeo

adeo ut obiter mirari liceat *Galenum, meth. med. gen. cap. X, et ſ. I, l. VI epidem.* ſcribentem, tam certum ſignum ex urina in febribus acutis ſumi poſſe, ut ipſi ſoli ſit fidendum, cum infidelitas urinarum non in malignis tantum febribus obſeruetur, ſed etiam interdum, poſt urinas diu coctas, in continente acuta, ſine malignitate, interitus nullo errore conſequatur, ſicuti, ſuffragante experientia, a Fernelio praeclare annotatum eſt. Appoſite *Laurentius Bellini, de miſſ. ſangu. p. m.* 240, febres eo praecipue nocere, exiſtimat, quod ſanguinem febrili materia uitient, et calorem non naturalem producant, ex quo rurſus alia uitia in ſanguine, totoque corpore, eueniant.

XXI.

Satis, opinor, ex iis, quae ſupra de febre acuta expoſui, conſtare poteſt, qua ratione illo ſanguinis in minimis arteriis tritu, aeſtuque, diſſipari et diſpergi humidum tenue-albuminis, ſiue ſeri ſanguinis, craſſaque eius portio, una cum globulis huius, compingi et addenſari, minusque adeo per uaſa minima meabilis fieri, et, niſi reſtitutione humidi, ſanguis ſubactus et liquidior factus, ad motum circuitumque natu-

ralem redeat, magis magisque ſiccari et ſpiſſeſcere, atque in ſaniem demum putridam, uti conſiſtentia, colore et acrimonia, ſic nomine uariam, eliqueſcere poſſit. Inde et illud perſpectu facile eſt, quo modo, eiusdem ui et impetu excandeſcentiae febrilis, ipſa quoque pinguedo corporis liquari, et ſanguini miſceri, illudque, ſuccenſis ueluti ignibus, torreri, per uarios meatus ſanies effundi, uariaeque in partibus uariis congeſtiones et inflammationes excitari, exanthemata item uaria in cute ueluti effloreſcere, ipſaque minima, praeſertim cerebri, uaſcula, uarie labefactari, peruertique ac deſtrui queant. Vt cauſam habuerit Hippocrates, cùr febrim ſaepius πῦρ appellarit, quod maxima pars febris ignis opera imitetur, urendo, liquando, diſſipando, torrendo, et nihil adeo eiusmodi igneo calore propemodum grauius accidere poſſit, nec quicquam eſſe ab eo alienius. Eodem aucto arteriarum motu, in febribus humorès maſſae ſanguineae eliquari, et corrumpi, quaeque uulgo illius colliquatio, et corruptio, fermentationi, praecipitationi, et acoribus, ac eiusmodi cauſis aliis, ſolet tribui, eàm ſaepius ſolidorum plus nimium incitatis oſcillationibus, et potiſſimum tritui arteriarum aucto, uel potius tritu-

rae,

rae, deberi, doctiſſimus autor *purgandae medicinae a curarum ſordib.* pluribus locis, et inprimis *cap. VII*, merito ſuſpicatur. Haud aliter ideam febris, et quomodo ea in mortem, morbumque alium, et in ſanitatem deſinat, accurate, ut ſolet, deſcribit celeberrimus *Boerhaauius*, hodiernum Academiae Lugduno-Batauae decus illuſtre, *Aphor. de cognoſc. et curand. morb. p. m.* 115. *et ſeq.* in quibus merito acquieſco, ne actum agere uelle uidear. Addam ſaltem ea, quae ſpeciatim de calore febrili habet *p.* 141. *Calor auctus*, inquit, *liquidiſſima diſſipat ex noſtro cruore, id eſt, aquam, ſpiritus, ſales, olea ſubtiliſſima ; reliquam maſſam ſiccat, denſat, concreſcere cogit in immeabilem, irreſolubilem materiam ; ſales oleaque expedit, attenuat, acriora reddit, exhalat, mouet ; hinc minima uaſa atterit, rumpit ; fibras ſiccat, rigidas, contractasque reddit ; hinc ſubito multos, celeres, periculoſos, lethales morbos producit, qui a priori facile deduci poſſunt.*

XXII.

Haec ſi *Veiga* perpendiſſet, procul dubio parcior fuiſſet in laude et commendatione febris, qua utilem eam dixit intemperatu-

ram, ad ſalutem totius corporis, uel partium, a motu regentis cor naturae excitatam, atque ex innata doctrina, cum uniuerſo caloris exercitu, aggredientis, quicquid noxii in corpore ſentiat, et uel coquere, uel pellere, nitentis. Ecquid autem in febre illa, quam in homine ſano, ex motu corporis nimio, extitiſſe dixi, et eius generis alia, itemque in hectica proprie dicta, quam cum febre lenta tabifica, ex latentibus abſceſſibus et ulceribus, ac corruptelis uiſcerum, multoties confundi uideo, uel coquendum, uel pellendum, a quo accerſita ſit febris, ubi cauſa nulla antecedens in corpore exiſtit? Suffeciſſet, ſi febres ille ſaltem intermittentes quasdam, et ſpeciatim tertianam exquiſitam, quae tutiſſima eſt, et ſeptem periodis utplurimum terminatur, commendatione quadam dignam habuiſſet, quam quidem, quod corpus expurget, multi minus auerſantur, haud ſecus ac fere popularis eſt perſuaſio, grauedinem ea laborantibus ſalubrem eſſe. Sed malim ego cum *Solenandro, Conſil. med. ſ. III, conſ. VI*, utraque, ut affectibus praeternaturalibus, carere.

XXIII.

Fortaſſe etiam Cl. *Stablius* aliter ſentiet, ſi omnia

omnia ſerio expendere, et rem ex uero, ſine amore et odio hypotheſeos ſuae, aeſtimare uelit. Cum enim circuitus ſanguinis iisdem organis, eodemque modo, in homine atque in animantibus brutis, peragatur, et in eundem, ut in ſe quiuis experitur, nullum ius ſit animae humanae, quid cauſae eſt, quamobrem in motu illo et circuitu ſanguinis perturbato, cuiusmodi febris eſt, *aeſtimatiua quadam animae energia*, quae oſtendi nullo modo poteſt, hic abuti, et rem expeditam et planam hypotheſi, altius repetita, impedire uelimus. Eadem organa et inſtrumenta, nimirum cor, eique continuata uaſa, et inprimis arteriae, quorum motu placido et naturali uiuidus ſanguinis circuitus continetur, et uitali ac ſalutari calore humoreque corpus uniuerſum perfunditur, et ſui quibusque partibus ſucci tribuuntur, nutritioni, et peragendis ſenſuum ac motionum operationibus utiles ac neceſſarii, quodque ſuperfluum eſt et inutile, ex corpore mittitur, eoque uita et ſanitas, ſine directione animae, uiget, eadem inquam organa, in motum adacta ueldociorem, inuita anima, totam corporis oeconomiam perturbant, febremque efficiunt et conſtituunt. Omnis hic ſapientia

prouidentiaque naturae, quam, ualetudine integra, tam multa praeclare agere, uidemus, quamque, afflicta sanitate, et labefactata, morborum medicatricem nuncupamus, cuiusque ministerio et diligenti motuum omnium obseruatione gloriamur, in eo quaerenda est, quod Deus corpus humanum ex partibus solidis et liquidis, se mutuo agitantibus, eo artificio construxerit, ut nobis sanis obeundis functionibus sit commodissimum, a causis uero morborum concitum, et ad confusionem, inuersumque actionum ordinem, redactum, eadem artificiosa constructione, inprimisque circuitus sanguinis ope, nonnunquam sua sponte, nunc occulte et tecte, modo expurgatione manifesta, per tot uarios meatus, tendere ad sanitatem possit, nec semper succumbere cogatur. Qua ratione ab *Hippocrate*, multis locis, natura ipsa, nihil eorum, quae agit, intelligens, optime suis fungi muneribus, et nulla unquam doctrina erudita et exculta, sine doctore, callidissime, et ita agere dicitur, ut ei maxime conuenit. Eodemque pertinet, quando idem medicinae princeps, *lib. de lege*, ex eoque *Celsus* l. c. *lib. III, cap. I*, repugnante natura, nihil medicinam proficere, et uana esse omnia, dixit. Quanquam uero, quae natura duce fiunt,

quam

quam optime fieri dicuntur, tamen nulla προαιρέσει, nulloque consilio, sed illius potissimum, quem dixi, motus ministerio, automatice, nec raro ita fiunt, ut id, quod a natura expectatur, auxilium, nunc lentum sit, modo dubium: cum contra illud, cuius copiam medicina facit, remedium, a prudenti iudicio, arbitrioque nostro pendeat, et iusto tempore ac modo adhiberi queat. Quod modo de natura dictum est, eodem referri, uel autoribus suis relinqui debet, quicquid *Veiga* de innata naturae, cor regentis, doctrina, et *Sydenhamius*, aliique, de conatu naturae, materiae morbificae exterminationem in aegri salutem molientis, praedicant.

XXIV.

Sufficere haec poterant ad demonstrandum, in quo natura febris consistat, et quod merito suspecta sit habenda laus, quae a multis ei tribuitur. Videamus tamen adhuc, quid de tertiana intermittente ab iisdem statuatur, quoniam uideo eam celeberrimo *Stahlio febris genium uniuersum manifestare, et tam exquisitum esse specimen totius apparatus motuum febrilium, ut ii in eadem etiam in crassum magis sensum incurrant.* Id quod quidem exemplo iuuenis sani,

qui

qui ex anguillae elixae multa et repentina ad nauſeoſam usque ſatietatem ingurgitatione, altero die febri illa correptus ſit, ſatis prolixe et laborioſe demonſtrare conatur. Sed hoc breuius, paucis ſaltem additis, rem complectar, quo ille maiori cura operaque uſus eſt, quia intelligentibus uel ſola ſimplex narratio ſatis eſſe poteſt. Quis enim opinetur, animam ideo, et hac bona intentione, ut, quod heri anguillae elixae deuoratum, atque in mucum lentum conuerſum eſt, hodie, et diebus alternis ſequentibus, uomitione reddatur, febrim tertianam mouere, *cuius paroxyſmus* ſecundum cl. Virum *l. c. cap. V, nihil aliud ſit, quam apparatus motuum humorum et totius maſſae ſanguineae localium, pro materia in uentriculo et primis uiis haerente, nihil aut male concocta, inprimis autem tenaci uiſcoſae lenteſcentiae uel proxima, uel idonea, ad promtam excretionem, per uomitum, aut aluum exturbanda; deinde uero maſſa humorum inprimis debitae ſuae tenuitati reſtituenda, et ex aliqua quoque parte reſoluenda, adeoque imminuenda.*

XXV.

Ita uero deſcriptus paroxyſmus duplici motu, contractionis altero, altero relaxationis, ab-

ſolui

ſolui dicitur. Vt enim anima praeparationem excretionemque illius materiae recte perficiat, Vir cl. opinatur, nutu illius habitum corporis conſtringi, eoque humores et uniuerſam maſſam ſanguineam in interioribus coaceruari, atque ex hac tam ſtricta humorum coaceruatione, ac diuturna detentione circa interiora, et ſeceſſiones fieri ſubtiliorum fluorum, iisque, cum cauitates quasdam alias, tum uero uentriculum et oeſophagum perfundi, ut diluant, emolliant, ac demoliantur materiam uiſcoſam, et eidem quoque uehiculo ſint, impediantque, quo minus illa, alicubi tenacitate ſua denuo obhaereſcendo, totum uomitionis actum fruſtrari, ſed hic eorum miniſterio fluorum, commodiſſime fieri poſſit. Ea etiam ratione ſaliuam putat affundi, non ut ex ore effluat, aut exſpuatur, ſed ut deglutiatur, ac mouendae excretioni uomitoriae pariter ſubſeruiat. Vti uero illa conſtrictio habitus corporis ipſius animae opus et actiua ſit, quam neceſſario illa ſyndrome circumſtantiarum, palloris, frigoris, uaſorum exinanitionis ac diſparitionis, ſenſusque ſpaſticarum conſtrictionum, ac demum *ſuccuſſationis* ſequi debeat: ſic fruſtra et ſine ratione adduci, cenſet Vir cl. quae a recentioribus de paſſiuis ſpaſmis, cutis aeque, ac

 totius

totius ambitus corporis, dicantur aliter, aliter ſcribantur.

XXVI.

Atque ſic quidem, ut is opinatur, anima, cum frigore unius et plurium horarum, ac demum etiam ſuccuſſu, corpus conſtringit, et ſanguinem in interiora cogit, atque coactum ita et coaceruatum detinet, ut ex eodem emulgeantur et ſecedant liquores, haerenti inprimis uiis diluendae, euehendaeque materiae tenaci et uiſcoſae conuenientes; quamuis id irrito plerumque conatu, et ſine fructu, aliquando etiam cum ipſo uitae diſcrimine, fieri, uſus teſtetur. Satis enim experientia conſtat, et ante ex *Harueio* annotatum eſt, eos, qui febre huiusmodi moriantur, eodem hoc acceſſionis tempore obire, eo autem ſuperato, uitam ſeruari. Ac uideas non raro his in febribus, quod ſpeciatim in epidemiis animaduertit celeberrimus *Meibomius, diſſ. de feb. interm. epidem.* et cardialgias et uomitus frequentes admodum, ac ſaepe immanes, miſereque aegros excruciantes, ac reiectis ex uentriculo bile et uariis humoribus aliis, eum nihilominus ad inanes uomitiones exſtimulari. Illud quoque in uulgus notum eſt, has ſaepe febres magis frigore, quam calore, moleſtas eſſe, ita ut multi ſe

dun-

duntaxat febricitare putent, quamdiu frigus urget, febre ſe liberatos cenſeant, quamprimum calor ſequitur, ob quam etiam cauſam in pluribus locis hae febres a frigore nomen ceperunt. Cui addendum, quod non raro, durante urgenteque frigore, permoleſta ſit oris ſiccitas, ſitisque uehementer affligat. Quo quidem modo anima iure exiſtimari poteſt, potius carnificinam, quam medicinam, adhibere, quod a minori malo affecto ſaltem uentriculo, ilico, nullo errore, ſed ex inſtituto, maius damnum uniuerſo corpori creet, et, cum, unico adhibito uomitorio, ab omni iſto peruerſo labore ac periculo ſecura eſſe poſſit, repetitis toties paroxyſmis fruſtra tempus conterat. Si ioco hic locus eſt, ipſa ſibi anima, ob illum in diaeta permiſſum errorem, ſuccenſere uidetur, et libidine puniendi corporis, quod deuoratum cibum non ſatis confecerit, illud immiſſa febre ulciſci.

XXVII.

Sed quid ſtatuendum de uomitibus, qui in terṫiana ſine frigore, adeoque ſine apparatu motuum illorum conſtringentium, et humores in interioribus coaceruantium, fiunt? Neque enim hoc perpetuum eſſe, intermittentem cum

frigore incipere, ſatis experientia euincit. Ita, praeter ceteros, *VVilliſius, lib. de feb. cap. III*, annotatum reliquit: *increbuit*, inquit, *hoc autumno febris intermittens, cuius acceſſiones tantum cum calore, eoque intenſiſſimo, aegros exercuere, in plerisque adfuit uomitus immanis, minime uero frigus, aut ſudor, poſt quatuor dein, aut quinque periodos, ingruente paroxyſmo, parum algere, et poſtea aperte rigeſcere ſolebant aegri.* Sic etiam cl. *Meibomius* l. c. in aliis quoque epidemicis conſtitutionibus ſibi animaduerſum eſſe, tradit, ineunte quidem febre leuem horrorem pleros-que inuaſiſſe, quosdam uero omni horrore uacaſſe, deinde non paucos paroxyſmos cum uehementi calore, uomitu, aliisque ſymptomatibus acceſſiſſe, nec de ullo frigoris uel horroris ſenſu conqueſtos fuiſſe, quosdam tamen, in ipſo calore conſtitutos, ſe ſimul et frigore et calore affici, dixiſſe, et manibus, extra lectum proiectis, ſe frigus ſentire. Ex quibus et illud apparet, non ſemper uomitiones, etiam copioſas, tale hic leuamentum afferre, quale uiſum fuit doctiſſimo *Stahlio l. c. cap. II.* Quo loco, uelim, non reperiri ex Spicilegio anat. Kerckringii adductam a Cl. Viro, quam notabilem uocat, hiſtoriam iuuenis ruſticani, *qui*, ut uerbis eius utar, *cum*

Ter-

tertiana febre per multas septimanas conflicta-tus, tandem per alvum deiectis acinis aliquot seu baccis uuarum, adhuc integris et nihil alteratis, quos ante inuasionem febris, cum pluribus, sed melius commasticatis ingurgitauerat, a febre facile deinceps et cito liberatus est. Is enim iuuenis nulla tertiana laborauit, sed exactis demum tribus mensibus, quibus nihil incommodi sensit, in tam frequentes et graues incidit lipothymias, ut saepius uideretur redditurus animam, non nisi leui interim uexatus, sed perpetua febricula. Atque is quidem triginta circiter uuas integras, non mansas, aut fractas, deuorauit, quarum decem, quae ultra tres menses in uentriculo haeserant, integras, succoque plenas, adhibito remedio, reddidit, et, hoc leuatus onere, conualuit. Id uero obiter saltem hic monere uolui, occasione uomitionum, quae, quoniam etiam in febribus quibusdam intermittentibus, nullo frigore, adeoque sine illa constrictione habitus corporis, et hanc consequente coaceruatione humorum ad interiora, sed solo calore inuadentibus, euenire obseruantur, id quidem dilucide monstrant, ad excitandas uomitiones isto tanto apparatu motuum humorum et totius massae sanguineae, quam anima moliri et efficere credi-

 tur,

tur, haud opus esse. Sed mittamus haec, et paucis uideamus, quid anima posthaec operetur et agat.

XXVIII.

Ista igitur, priori persuncta labore periculoue, iam in eo tota est, ut constricto antea corpori, eoque ad interiora coacto et spissescenti sanguini, laxamentum detur et spatium, pulsuque, qui *sub frigore tardus et rarus erat*, celeri et frequenti reddito, transitus per porosas partes peripheriae corporis, augeatur, et hoc motus augmento, sanguis a spissitudine ad debitam tenuitatem reducatur, et, parte quadam seri emissa, imminuatur.

XXIX.

Pulsum sub frigore tardum et rarum supra tetigi. Attigi quoque transitum sanguinis ex arteriis per porosam partium substantiam in uenas, et ductus alios, eumque circulo sanguinis aduersum esse, dixi. Ceterum ab accelerato motu sanguinem, pro uaria sui illiusque conditione, et tenuem ac fluidum, et densum minusque meabilem, reddi posse, et augmentum secretionis humorum determinatam requirere uelocitatem, atque ab adaucto nimis circuitu sanguinis totam secretionem animalem impediri peruerti-

que,

que, notius iam eſt, quam ut hic deſcribi debeat. Quid uero opus eſt, ut fingamus animam, poſtquam conſtrictione corporis, immiſſoque frigore, corpus concuſſit et excruciauit, ad alterum tormenti genus, nempe aeſtus et ardores, ſeſe conferre? Praeſertim cum ſine ea febris huiusmodi, ex errore diaetae exiſtentis, ratio, ex chylo crudo, ſiue lentore, haerente in primis uiis, indeque per uias lacteas ad ſanguinem traducto, tam facile deducatur, ut hinc, quaecunque in illa febre eueniunt, quaeque in curatione ſint ineundae uiae, rerum confirmatae uſu, elici colligique poſſint.

XXX.

Sed diutius me detinuit huius rei expoſitio, quam uolui. Quid enim a febribus etiam intermittentibus expectandum ſit boni maliue, abſoluiſſe uidetur, honorifice ſemper appellandus *Boerhaauius l. c.* Mihi iam ſatis ſit, quantum ſinebat feſtinatio, ſubuertiſſe illam febris laudem, meritoque ſuſpectam demonſtraſſe. Id denique perſpici in promtu eſſe, puto, *Veigam*, efficta ſibi quadam, cor regente, natura, aras ignoto deo erexiſſe, et *iure indignatam eſſe felicitatem apud Auguſtinum de Ciuit. Dei lib. IV, cap. XXIII, quod ſecum coleretur Priapus, et Cloacina, et Pavor, et Pallor, et Febris, et caetera non numina colendorum, ſed crimina colentium.*

NOBILISSIMO
ET CLARISSIMO
CANDIDATO

S. P. D.

PRAESES

Si ſua illis merito impertienda laus eſt, qui literarum ſtudiis florentes, omnibusque probati, ſe ingenuos atque integros ſeruant: qua tu laude efferendus eris, in quo et doctrinae humanitas, et medicae artis peritia de gloria contendunt, quarum tu rerum fidem, applaudente Medicorum Ordine feciſti luculentam. At quo eſt excellentius, ſuffragantibus ſolis, quibus eminet optimus quisque, meritis, honores capeſſere, eo magis iure quodam tuo decreta tibi Doctoris ornamenta poſtulare uidebaris. Ego uero mirifice afficior, tuaeque, cuius tu et ſpei et famae debeoris, patriae, tibi autem ipſi collatam merito dignitatem gratulor, utque ampliſſima, communi omnium conſenſu, honorum ſemper augearis acceſſione, opto.

